GENITORI MATRIS MEÆ D. B. MOREAU.

DISSERTATIO MEDICA
DE ANGINA INFLAMMATORIA,

QUAM in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce & auſpice Dei-parâ tueri conabitur, Auctor JOANNES-BAPTISPTA-BARTHOLOMÆUS VIALET, Rupelleus, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ alumnus, die 7ª. menſis Decembris, anni 1773.

Pro Baccaldureatus gradu conſequendo.

I.

A Simplicibus faucium malis diſtinguenda venit Angina quæ generali nomine comprehendit, omnes illos morbos qui, impedimento vel dolore partium deglutitioni & reſpirationi inſervientium, illas binas functiones ſimul vel ſingulas turbant; ſic tamen, ut cauſæ horum morborum ſupra ventriculum & pulmones hæreant.

I I.

In varias ſpecies dividitur iſte morbus, alia propterea Angina eſt aquoſa vel ædematoſa quæ ab aquâ vel pituitâ creatur, in parte glanduloſa præcipuè ſecretis. Alia ſchirroſa nuncupatur, quæ fit à materia lenta, craſſa, veluti gypſea glandulis impacta: hinc duri & indolentes glandularum tumores hunc morbum preſentem monſtrant. Alia ſuppuratoria ſalutatur, ſi inflammationis ſymptomata ſubito cum bonis ſignis ceſſent; quin alia ſigna doceant materiam morbi ad alia loca tranſiiſſe. Alia gangrænoſa, quæ dignoſcitur facie cadaveroſa, extremarum partiùm corporis frigore, livore, pulſu debili atque inæquali. Si nervi motores organorum deglutitionis vel reſpirationis paralyſi afficiuntur, paralytica tunc adeſt Angina. Si vero muſculos pharyngis vel laryngis convulſio afficiat, ſive id ab affectu hiſterico ſive à vera convulſione proveniat, convulſiva nominatur. Sed de his omnibus hic non agitur de Angina tantum idiopatica & inflammatoria agemus; de qua nunc.

I I I.

Angina inflammatoria ea eſt quæ deglutiendi & reſpirandi difficultate ſtipatur, quam comitantur dolor pungitivus & lancinans circa fauces, tumefactio ac relaxatio tonſillarum & uvulæ, febris continua, ſum-

mum aërem reſpirandi deſiderium , inflammatio vel membranam muſculoſam internam fiſtulæ pulmonalis occupans, vel laryngem vel muſculos elevandis oſſi hioidei vel laryngi ſervientes, vel pharyngem vel fauces internas &c. ſive ſingulatim ſive pluribus ex his id contingat. Si ſola laborat pulmonalis fiſtula ; præter inflammationis communia ſigna, vox acuta, clangoſa , ſibillans , nullo externo tumore , reſpiratio acute dolens, parva frequens, pulſus mire & cito vacillans, anguſtiæ ſummæ , citaque mors. Si larinx eiſdem afficiatur ſymptomatibus, eſt dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, aut ut inter loquendum vox acutiſſimâ cum ſummis anguſtiis citiſſimaque mors. Si muſculi oſſi hioidei & laryngi elevandis ſervientes inflammantur, reſpiratio eſt ſatis libera, deglutitio verò in prima ſuæ actione exercitationis acutiſſime dolens. Si pharinx eodem infeſtetur malo, dignoſcitur reſpiratione ſatis commoda , deglutitione dolenti, impoſſibili , materiæ deglutiendæ per nares in aſperam arteriam regreſſu ; eadem pulſa materia tuſſim violentam excitat. Si vero fauces , uvula , tonſillæ, &c. afficiantur , oculis ſolis id detegitur. Quibus ſignis adde vultus rubedinem, urinarum inflammationem eo evidentiorem quo difficilius reſpirat ægrotans : tunc enim impeditur redditus ſanguinis à venis jugularibus pulſus durus, frequens & inequalis reperitur , ſed non conſtanter ; deſinente enim morbo eſt lentus, vacuus, concentratus, frigeſcunt manus, anxietatibus, delirio & ſtupore cruciatur æger : tunc vacillat pulſus, perpetuo agitatur Anginâ detentus. In quibuſdam reperies ſalivam ſpumoſam ob difficilem reſpirationem : exaudires ſtridorem ; & veluti ſonitum guttæ aquoſæ in puteum decidentis edit quidquid in ſtomachum decidit , quod ab aëre alternatim aſcendente & deſcendente procreatur & mali ominis eſt.

I V.

Ex Anginis inquit *Hyppocrates* graviſſimæ ſunt & celeriter interimunt quæ , neque in faucibus , neque in cervice quidquam conſpicuum faciunt , plurimum vero doloris & orthopnoææ inducunt , tiniunt pariter aures.

Solvitur Angina ſudoribus, urinis, hemorrhagiâ, menſtruali fluxu, exanthematibus & aliis evacuationibus. Rubedo ad externas partes ſimul & tumor apparentes cum levamine, ſummam prudentiam in præſagiendo expoſtulant à Medico. Inflacto larynge, difficilis deglutitio tolerabilior eſt quam cum deprehenditur pharinx & æſophagi ſuperior pars. Metaſtaſis ſæpe fit ut migratio iſtius morbi in arthritidem & vice verſa, ſe transfert quandoq. morbus in cerebrum , vel pulmones , vel hepar , vel in hypochondrios , fæmora. Tunc variatur prognoſis prout iſtæ vel illæ partes afficiuntur, Angina inflammatoria præceps diſcutionis ſpem admittit , lenta communiter tendit ad ſuppurationem. Abſceſſus ad extra ruptus ſuffocationis periculum declinat. Si ; malo violento manente abſque ulla ſignificatione , dolores ad caput prorepunt , notæ ſunt exitii. Inter mortis ſigna adnumerantur quoque ſpuma ante os , lingua tumida , purpurea , extre-

morum frigus, linguæ emiſſio, vox cattullina, præcordiorum anxietas cum pulſu duro & convulſivo &c. Si reſpirandi difficultas ultimum gradum attigerit tunc vel ſtrangulatione vel ſyncope terminatur morbus. Quædam de prognoſi obiter diximus articulo tertio.

V.

Hujus morbi cauſæ ſunt, diſpoſitio juvenibus propria ſanguine divitibus, bilioſis, rufis; exercitium frequens validumque organorum loquelæ inſervientium, ut oratoria exercitatio, cantus, clamor, fortis equitatio adverſo vento & fervido, tubarum & fiſtularum inflatus, labores validi in aëre frigido, calor, æſtuans magnum frigus accipiens tempore verno, febris inflammatoria. Omnia enim hæc, cruoris motum ad has partes conciliando vaſa ve laxando lateralia, cruor lymphaticis ſeroſiſque introducitur arteriis quæ, poſt modum à frigore conſtrictæ, per anguſtiſſimos eorum ramulos ingreſſo cruori per vaſis radicem, tranſitum minime concedunt, qui ibi ſtagnans inflammationem producit, rigorem excitat quem acuta febris abſolvit.

Succedit etiam morbis chronicis, ſuppreſſioni evacuationum naturalium ut fluxui menſtruali, hemorrhoidibus &c. vel ſubito oritur ex temperie quadam aëris ut v. g. cum de repente perflant venti, temperato antea jove; ſunt & etiam malignitates in atmoſphera iſtud malum procreantes.

V I.

Non per mittebant antiqui ſomnum detentis anginâ inflammatoriâ, præſertim in principio *fiente fluxione*, ne ſomnus adaugeret inflammationem: unde proſcribenda narcotica: per venas raninas primùm mittebat ſanguinem Hyppocrates, quem ſagaciſſimi ſecuti ſunt practici; ſed ut *Tulpius* hâc methodo plures vidit effectus ſiniſtros, ſatius eſt antea miſiſſe ſanguinem per brachia vel pedes. Idem aſſerit *Wanſvietens*. Incipiente morbo felici cum ſucceſſu quoque quadrihorio iteratur venæſectio, rarius tamen cacheticis. Si verò aëris temperies ſit humida; eodemque tempore, flante euro minus indulgendum eſt miſſioni ſanguinis: & contra, regnante Borea, tempore ſicco.

Si forte impediatur venæſectio, cucurbiculis ſcarificatis ſcapulas inter applicatis occurrendum eſt; obſervatâ tamen eâ lege quam ſupra. Poſt miſſionem ſanguinis. feliciora remedia ſunt refrigerantia inter quæ non omnibus conveniunt acida. Poſſunt enim inflammationem adaugere æquâ proportione ac irritabilitatem partium adaugent; in uſu veniunt nitroſa, vapor mixtionis aquæ & aceti, & id cum magno emolumento; ſic & ille plantarum emollientium, ſed ad minorem gradum. Inter ecclegmata, paratum cum nitro, ſyrupo roſat. Et melle optimum eſt. Non minus laudandum gargariſma iſtud vulgare ex decoctione ficuum in aqua & lacte cui additur paululum ſalis ammoniaci; ſed opinante de *Haen* gargariſmata [ex ſalibus conflata poſſunt

augere inflammationem, qua propter removenda sunt à praxi. Non adhibenda veniunt emetica quin prius missus fuerit sanguis. Illud enim remedium multis modis per utile est. Potest nempe partes mucosas è primis viis ejicere : prevertit & etiam gangrænam actione suâ in stomacho : impedit faucium atoniam, abscessuum formationem non solum evacuando sed etiam revellendo & excitando. Maxime ad revulsionem internam conducunt purgativa clysmata & antiphlogistica purgantia. Inter externa revellentia annumerabis pediluvia calida, frictiones extremitati partium inferiorum, rubefacentia ut ranunculus pratensis collo applicata, mixtionem plurium excretorum animalium de quibus silemus. Nam efficacissimum linitum est olei amygdalarum dulcium & spiritus volatilis salis ammoniaci mixtio. Si nimis ingurgitentur partes faucium in his applicantur duæ vel tres incisiones cruciales, quod auxilium multum valet in extremis sic & bronchotomia ; non autem prescribitur hæc operatio cum angina simpliciter facta est gangrænosa, vel cum ei succeffit peripneumonia.

Si suppuratione terminatur morbus, quod pulsu debili, parvo & molli, odore ingrato, elevatione tumoris albi fientis, minutione caloris, fluctuatione aliquando digito prementi notâ, cognosces ; nec sectionem venæ nec purgans præscribito ; vel saltem tantum cum abscesûs formatio novam procreat inflammationem : assumat tunc æger vaporem aquæ & aceti, vel plantarum emollientium per infundibulum. Cataplasmata tonica applicentur. Et si foras vergit tumor aperiatur antea quam maturus sit abscessus. Et si morbus summum attigerit gradum adhibeantur vesicantia nuchæ vel parti externæ respondenti affectæ applicata, mira hoc in morbe præstant.

DISPUTATURI
R.R. D.D. PROFESSORES REGII.

D. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*
R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
R. D. GABRIEL - FRANCISCUS VENEL.
R. D. CAROLUS LE ROY.
R. D. GASPAR - JOANNES RENÉ.
R. D. ANTONIUS GOUAN.
R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus*, *Professor Emeritus.*

MONSPELII,
Apud A. F. ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum 1773.